



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Annales Mariani Societatis Iesv**

**Nádasi, János**

**Romæ, 1658**

Anno MDLXXXXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42840**

*Confilia  
illius se  
qui.* de eluerent apud illum conscientiae labes , eiusque consilio uterentur . ipsum quidem , si hoc fecerit , non multo post , conualitum . Adfuit Pater e Collegio Potosino quam magnâ populi ab ægro id prædicente moniti expectatione ac desiderio , tam nobili fructu : & æger quoque ille conualuit .

A N N O M D L X X X X I I .

970 *P. Hieronymum Ruiz de Portillo* virum humilitate , ac orandi studio singularem Deiparæ clientem in morte inuisit gloria cæli Regina stipata elegantissimo cælestium Virginum comitatu , ut est constans eorum qui ei adfuere opinio .

*Suis con-  
silijs illæ  
præficere.* Hoc anno à Provinciæ Romanæ Patribus Vrbueteri mos est inductus Deiparæ Virginis consalutandæ , quoties , ad æris campani signum publicum , initur à Magistratu consilium : quo commodiùs & feliciùs deliberatio transfigatur ab omnibus ; quam illi sententijs , cæteri precibus adiuuent .

*annua  
pag. 51.* 971 In Aquitanica verò Provincia Petrocorij quidam , qui iam tres & viginti annos quotidie recitare coronam B. Virginis , eiusque diebus festis obire Sacra menta solebat , semel incuria quædam piam hanc consuetudinem intermisit . Nocte quæ diem illum consecuta est , homini dæmon manus iniecit : eumque nescio quo raptabat , cum præsto adesse visa illi est B. Virgo , quæ eum in diuersam partem retraxit . Ita liberatus , adeo est emendatus , ut in eius animo magna diligentia , constantia , pietatis , cæterarumque virtutum semina excreuerint .

*Constan-  
tem esse  
in penso  
B. V. per-  
soluendo.* 972 In Provincia Toletana quidam , ut ferunt literæ , se Deo exosum putabat , eoque de turri in Tagum datus erat præcipitem , nisi primùm ab

ab eleganti paruulo fuisse prohibitus qui ex oculis euanuit. Iterum id cogitantem, reuocauit Deipara, fecitque ut Talabricam accederet ad nostrum Sacerdotem, atque ex eius consilijs acciperet constantem quietem, & perfectam animi sanitatem.

Afflitti.

## A N N O M D X C I I .

973 Quidam, vt annuæ Brunenses narrant, de suscipiendo sacræ vitæ instituto (vnâ exceptâ Societate, à qua mirum in modum abhorrebat) secundum deliberans, in grauem mœrorem incidit. Is cùm angore animi vrgeretur, visus est sibi per quietem à B. Virgine admoneri, vt si mœrcere illo liberari vellet, ad Christum (qui oppressus ærumnis adesse videbatur) configureret. Christum ergo afflictum ac iacentem adolescens subleuare cùm niteretur, eius vocem sibi audire visus est, dicentis: *Confide fili, quoniam me subleuasti; ipse vicissim à me subleuaberis.* Quâ ille voce permotus, incredibili cupiditate Societatis exarsit. Hæcibi.

In mœrere, illam consulere.

974 P. Emmanuel Fernandez octauo ante mortem die diem summum extremum prædictit. Morientem visitauit, & solata est (vt ferunt) Virgo Mater: id quod ille ipsâ suæ mortis horâ Francisco Lopez Coadiutori disertè dixit.

objit 25.  
Dec 1593  
Fremonæ.  
Mors.

## A N N O M D X C I V .

975 Hoc anno nonis Nouembribus euocatus est ex hac vita P. Franciscus de Petris; qui paucis ante obitum diebus, inquit Trigautius, fratrem è nostris adiutoribus ad constantiam in religione retinendam adhortatus, aiebat se vocem Dei Matris ad se loquentis audire visum, cuius hæc fuerint verba: *Ingredere agedum Filij mei Societatem, & in ea vocatione perseuera.*

Expedit.  
Sinicæ l.3  
c.8. pag.  
280.

Vocatione.

N N N

A N -